

A ædificarint. Quapropter deinceps diminuta Thebarum magnificentia, aucta Memphis, usq; ad Alexandri Macedonis tēpus, is urbē sui nominis iuxta mare cōdidit, in augmentū cuius postea reges Aegypti omnes incubuerūt. Hanc ciuitatem quidam deorū donis, plurimisq; decoris rebus adeò exornauerūt. Hanc prima apud quosdam, aut secunda in orbe habeatur. Sed de hac separatim posterius dicetur. Memphis conditor post structū aggerē, stagnumq; effossum, regiam ædificauit haud inferiorē reliquis, quæ alibi constructæ sunt, superiorum uerò regum magnificentia atq; ornatu imparem. Aegyptij sanè omnino paruifaciendum præsentis uitæ tempus esse putant: futuræ uerò gloriam, quæ uirtute comparatur, maximi æstimandam. Domos nostras diuersoria appellant, tanquā breui tempore à nobis inhabitandas. Defunctorum sepulchra sempiternas domos, quoniam apud inferos infinitum sit tempus, uocāt. Ideo domus ædificandæ curam contemnunt. Circa sepulchrorum magnificentiam summum studium operamq; impendunt. Memphim quidam a conditoris filia denominatam uolunt. Eius amore fabulantur nonnulli captū Nilum fluiuium, tauriq; sub forma compressisse mulierem: exq; ea genitū, quem propter uirtutem incolæ Aegyptū dixere: à quo & regio sit omnis denominata. Hic cum regnum cepisset, perhumanus ac iustus fuit, inq; singulis excellens. Quæ ex re comprobata ab omnibus eius erga singulos beneuolentia, hunc honorem nominis sortitus est.

Hoc defuncto rege, duodecima post eum proles Aegypti regnū possedit, nomine Miris: ædificauitq; in Memphi boreale propylæum, opus reliquis excellentius. Supra ciuitatē decem stadjs lacum effodit, miranda utilitate, magnitudine operis incredibili: cum pateat ambitu stadjs tribus milibus sexcentis, profundum eius quibusdam in locis sit uulnīs quinquaginta: ut qui rei magnitudinem aduerat, eius in omnes Aegyptios beneficentiā, regisq; prudentiam nullus pro meritis satis laudare possit. Nam cum Nili incerta sint incrementa, & pro eorū modo fructus terra præbeat, lacū hunc effodit aqua inundantis receptaculū: ne cum supra modū excreceret, stagnantibus præter solitum aquis, limo superfluo patria inutilis redderēt, ne uex defectu aquæ fructus ex siccitate perirent. Fossam uerò à fluuiō duxit ad lacū stadjs octoginta quinque, iugeris latitudine. Per hanc fluuij aqua et recepta & prohibita, præbet agricolis fertilitatē, nunc aperto ore fossæ, nūc clauso iuxta incrementi modū, non absq; magna impensa: cum quinquaginta talentis opus sit, siue claudere, siue referare os fossæ uelint. Permanfit hoc stagnum summa Aegyptiorū utilitate, usq; ad nostrā atatē à conditore Miride appellatū. Relictus est à rege qui eum effodit, in eius medio locus, in quo sepulchrū ædificauit, duabus superimpositis pyramidibus altitudine stadj, una sibi, altera uxori. Super has statuas quoq; duas lapideas collocauit in throno sedentes: existimans his operibus relinquere suæ uirtutis memoriā immortalē. Vesigal pisciū, qui in stagno capiebantur, uxori cōcessit tum ad unguentorū usum, tum ad reliquū corporis cultū. Id, talenti argentū singulis diebus pendit. Traduntur duo & uiginti piscium genera in eo esse, tantamq; eorū capi multitudinē ut abundē præbeat ijs etiā, cum plurimi sint, qui salicidīs piscibus operā præbent. Post Miridē proles septima Desofstris rex factus, superiores omnis gloria et rerū magnitudine excessit. Sed quoniā de huius regis gestis non solū Græci scriptores, sed etiam Aegypti sacerdotēs, & qui cantu eius laudes ornant, non eadem sentiunt: ex ijs tum quæ supersunt uestigijs, tum in quibus scriptores cōueniunt, similia uerū cōscribemus. Post eius ortū pater decorū ac regiū opus aggressus est. Nā ex tota Aegypto omnibus qui eadē die qua filius nati erāt infantib; cōgregatis, nutrirī, educari, ac singulos eadē disciplina exercitioq; eruditī fecit: existimās hoc pacto simul educatos atq; instructos, tū amiciores inuicē, tū audētiores melioresq; in bello fore. Hos cōtinuo usu ad malorū patientiā exercebat.

Non.